DISPVTATIO INAVGVRALIS MEDICA,

DE EMPYEMATE;

QVAM

SECVNDANTE NVMINE DIVINO,

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,

REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO DOMINO,

DN. PLACIDO,

REGALIS MONASTERII S. S. APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI ORD. S. BENEDICTI INTRA ERFORDIAM ABBATE, PRÆPOSITVRÆ ZELLENSIS AD VVERRHAM DOMINO, S. FACVLT. THEOLOG. ASSESSORE PRIMARIO, ETC.

AMPLISSIMO MEDICORVM ORDINE IN HAC PERANTIQVA HIERANA GRATIOSE CONSENTIENTE,

SVB PRÆSIDIO

LAVDATISSIMÆ FACVLTATIS MEDICÆ DOMINI DECANI ET SENIORIS

DN. D. JOH. ANDREÆ FISCHERI,

CONSIL. ET ARCHIATR. ELECT. MOGVNT. PATHOLOG. ATQVE PRAX. PROF. PVBL. PRIM. NEC NON MED. PROVINC. DVCAL. ISENAC.

PATRONI AC PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ATQVE PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE OBTINENDI,

PVBLICÆ ERVDITORVM CENSVRÆ SVBMITTIT

AVTOR ET RESPONDENS

ERNESTVS AVGVSTVS KÜLBEL,

Lipſienſis,

DIE XXIV. MARTII A. R. S. MDCCXXVIII.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

VIRO

ILLVSTRI ATQVE GENEROSO

DOMINO

CHRISTIANO FRI-
DERICO
DE BRŒSSIGKE,

DYNASTÆ IN BREITENFELD, LINDENTHAL, HAHN, GROS- VND KLEIN-WEDDERITZSCH, &c. &c.

DOMINO SVO GRATIOSO,

Diſſertationem hanc Inauguralem, in τεκμήειον animi ad omne gratiarum & reverentiæ genus obſtrictiſſimi, ob exhibitum Parenti ſuo, penes Illuſtrem familiam Medici Ordinarii vice adhuc fungenti, favorem oppidò magnum, conſecrat, & ſimul ſe ſuaque ſtudia per quam ſubmiſſe commendat

ERNESTVS AVGVSTVS KÜLBEL.

PROŒMIVM.

QVemadmodum vix ullus mortalium intra ſpatioſi hujus terrarum orbis ambitum inveniri poterit, qui vitam ab omni vitiorum labe prorſus immunem tranſigere queat; ita haud facile quisquam in univerſa hac mortalitate reperietur, qui vitam ab omni morborum rabie liberam degat, exigatque perfecte ſanam, cum optima illa rerum magiſtra experientia, innumeris quotidie notis demonſtret veritatem vulgati iſtius aſſerti, quod quisque ſuos patiatur manes, ſuisque expoſitus ſit incommodis: ideoque non inepte aget ille, qui more Diogenis, homines perfecte ſapientes tempore meridiano accenſa lucerna quærentis, homines perfecte ſanos quærere ſibi proponit. Vix enim infantes tenelluli prima rudis ac miſeræ hujus vitæ hauriunt elementa, vitalemque primis tantum labiis deguſtant auram, & ecce ſtatim cum ea quoque graviſſimorum morborum ſemina & prima omnis generis ægritudinum fundamenta ſimul recipiunt, atque ita variæ indolis hoſtes in pro-

prio quaſi corpore fovendos nutriendosque tacite arripiunt, ſibique graviſſimum illud onus præter voluntatem imponunt, ut cum nefandis iſtis vitæ ſanitatisque ſuæ turbatoribus & adverſariis ad extremum usque halitum ſummamque ſenectutem, modo ſecundo, modo adverſo Marte confligtari opus habeant.

Dum ergo nemini unquam tam exactæ felicitatis gaudia contigerunt, ut nihil ei relictum ſit, cui ingemiſcat, dum modo animus, pars illa divina hominis, mœrore, ærumnis & luctu obſcuratur, modo corporis admodum laxa compages, nimiâ morborum mole premitur ac fere opprimitur, ecquis eſt, qui non de miſera hac mortalium conditione triſtetur eique ingenue condoleat? Quemadmodum enim in aqua piſces hinc inde ludentes, in aere & umbroſis arborum ramis volucrum cohors, inſidiarum ſecura, dulciſſimos edens concentus, tandem plane inopinato capiuntur reticulis, tendiculis, aut viſco; ſic quoque hominum turbæ evenire ſolet, ut ex ea nullus plane ſexus, ætas nulla, nullumque vitæ genus morbos ſuos effugere & ex ſuis ſe extricare valeat periculis; quin potius mors ejusque adjutores, innumeræ nimirum ægritudines, modo huic modo illi lethales ſtruunt inſidias, eosque haud raro, nihil prorſus ſiniſtri metuentes, fatali caſu proſternunt.

Ex innumeris autem iſtis viis, quas ad enecandos homines ſæpe inveniunt fata, non infimum merentur locum, *ſuffocationes ipſæ* aut *affectus cum ſuffocatione conjuncti*, ubi plerunque viribus aut ſaltem ſenſibus adhuc ſatis integris exiſtentibus, reſpiratio usque adeo intercipitur,

cipitur, ut ſummum inde periculum vitæ & tortura vix ſatis deſcribenda exinde emergant. Apparet hoc in Angina, Catarrho ſuffocativo, Aſthmate convulſivo, Paſſione hyſterica & in EMPYEMATE, thoracis cavitatem occupante, ubi ſæpiſſime afflicti exinde ægrotantes miſerrimam vitam inter continua mortis imminentis pericula per ſatis longum temporis intervallum ægre traducunt, donec optatam ipſis opem vel Medicina vel Natura, vel ipſa etiam pallida mors, felici aut lethali ſub eventu tulerit. Hunc ergo truculentum affectum dignum judicavi, quo in ejus explicatione vires ingenii mei inquiram & quid valeant illæ hac ratione experiar. Deus autem ſupremus Medicinæ autor atque director conatibus hiſce clementiſſimè adſpiret, eosque in ſanctiſſimi ſui Nominis gloriam, ſalutiferæ artis noſtræ incrementum, & deſideratum ægrotantium ſolatium cedere jubeat.

§. I.

PRiusquam ad intimiorem præſentis affectus luſtrationem progrediar, neceſſe omnino erit, ut de conſueto ejusdem nomine pauca præmittam, quoniam illud latius patet, variasque in ſcholis Medicorum admittit ſignificationes, & hanc ob cauſam utique ab æquivocatione, quæ alias omnium errorum mater eſt, antea liberari debet, ut dein, quid proprie per tale vocabulum intellectum velimus, tanto magis eluceſcat. In triplici igitur ſenſu utplurimum a Medicis accipitur vox *Empyematis*, nempe in *latiori, ſtricto & ſtrictiſſimo*: *Late* ſumtum *Empyema* denotat qualemcunque puris generationem ſeu collectionem in aliquo viſcere, undecunque & ubicunque illa oria-

 tur

tur, quemadmodum hac ratione ab HIPPOCRATE *Epidem. Sect. III. §. 30. & 43. & in Aphor. 45. Sect. VII.* ſpeciatim pro *purulento Hepate* accipitur, quorſum etiam conferri meretur GALENI Commentarius *in Aphor. 44. Sect. VII. Stricte* autem dictum *Empyema* pro quavis ſuppuratione in thorace ſolummodo facta uſurpatur, prout hoc videre licet ex HIPPOCRATIS *Aphor. 10. Sect. V.* ubi pulmones ſuppurati pro Empyemate ſumuntur; & hinc quoque forſitan eſt, quod CELSVS latinum *Vomicæ* vocabulum in locum Græci hujus ſubſtituat, imo, quod quidam ex modernis Latinorum, vocis forſitan Etymologiâ decepti, quia ἐμπύησις vel ἐμπύημα ab ἐν *intus* & πύον *pus* dicitur, ex falſo tali præjudicio *Apoſtema* & *abſceſſum* cum Empyemate confundant, dum ulcerationes quascunque intra pectus contingentes κατ' ἐξοχὴν vomicas appellitare ſolent.

§. II.

Strictiſſima autem & propriiſſima *Empyematis* acceptio eſt, quando illud pro collectione puris extra pulmonum ſubſtantiam, intra pectoris cavitatem facta, ſumitur, quoniam eo ipſo quibuscunque aliis ſuppurationibus, intra quascunque viſcerum notabiles cavitates productis, optime contradiſtinguitur; quare etiam hoc ſenſu vocabulum illud non ſolum ab HIPPOCRATE *Sect. V. Aphor. 8. & Sect. VII. Aphor. 44.* & a GALENO *Comment. in Aph. Hipp. Sect. VI. Aphor. 27. & Lib. II. Prognoſt. t. 60.* ſed ab omnibus fere modernis, uſitatiſſime in hunc usque diem adhiberi ſolet, quos & ego inpræſentiarum imitatus, eodem modo Empyema accipio & propterea definio, quod ſit *collectio puris poſt rupturam abſceſſus in pleura aut pulmonibus antehac deliteſcentis, aut corruptionem ſanguinis circa iſtas regiones extravaſati, in ſpatio quod thoracem inter & pulmones eſt, modo in uno, modo in utroque illius latere facta, liberum reſpirationis actum valde impediens & præter febrem ſatis acutam adhuc alia plura ſontica pathemata inferens.*

§. III.

§. III.

Licet igitur præſens hic noſter affectus admodum intricatus & peculiaris indolis exiſtit, nihilo tamen minus variæ circa illum occurrunt circumſtantiæ, quarum intuitu cum aliis pectoris affectibus convenire, imo eosdem quaſi mentiri videtur, adeoque facilem ad illos inter ſe confundentes ſubminiſtrat occaſionem niſi eſſentialia ipſorum ſigna probe prius enodata, & ab invicem rite diſtincta fuerint. Coincidit enim quoad generalia ſatis exacte cum *Hydrope pectoris*, & quidem ratione eximiæ illius difficultatis reſpirandi, preſſoriæ anguſtationis circa præcordia, fluctuatorii ſonitus intra thoracem, atque ipſius febris conjunctæ, quippe quæ ſymptomata utrique affectui ordinarie ſolennia exiſtunt, facili tamen negotio poſtmodum inter ſe diſcerni poſſunt, quoniam in *Empyemate* propter continuantem adhuc ſenſum punctorium circa regionem læſam, non ſolum in genere difficilis, ſed inſuper crebra, frequens & abbreviata eſt reſpiratio, ita ut patientes aërem cum moleſtia hauſtum minime diu continere poſſint, ſed ſtatim iterum eadem cum moleſtia emittere cogantur, idque omni tempore, ſive deambulent, ſive ſedeant, ſive decumbant; e contra vero *Hydrops pectoris* hoc inprimis habet ſignum pathognomonicum, ut notante *Piſone in Tr. de morbis e ſeroſa colluv. Sect. III. cap. 7. pag. 296.* difficultas iſta ſpirandi ex improviſo primo ſomni tempore ægrum opprimat, quietem ejus turbet, & non niſi circa ortum ſolis iterum aliquas inducias ipſi concedat.

§. IV.

His autem non obſtantibus, ſumma tamen adhuc remanet difficultas circa rite formandam inter hos duos affectus Diagnoſin, quoniam in utrisque ægri conqueruntur de ſenſu tam ponderis diaphragma deprimentis & reſpirationem tanto moleſtiorem reddentis, quam fluctuationis intra pectoris cavitatem, inprimis ſi caput & pectus antrorſum inclinent & de terra quicquam tollere tentent, aut ſi ex nno in alterum latus decumbant, corpus erigant &c.

Aſt,

Aſt, præterquam, quod in Hydrope pectoris, ob majorem aquoſi humoris copiam ſingula hæc ſymptomata acerbiora & graviora exiſtant, inſimul quoque ex antecedentibus & conſequentibus probe conſideratis facile concludi poterit, quisnam ex duobus hiſce morbis proprie præſens ſit: Si enim tuſſis ferina diuturna, Angina, Pleuritis, Peripnevmonia, Vomica, vulnera thoracem penetrantia, concuſſiones ejusdem graviores, &c. præceſſerint, ſi multus ſudor toto corpore fundatur, ſi frequentes ſub his intercurrant horripilationes, ſi dolor punctorius, lancinatorius, &c. in aliqua pectoris regione perſentiſcatur, ſi facies rubicundo colore perfuſa appareat, & volæ manuum pedumque plantæ nimium caleant, tunc prius allegata ſymptomata *Empyematis* præſentiam magis arguunt, omnemque de Hydrope pectoris metum & ſuſcipionem deſtruunt.

§. V.

Tandem etiam ambo hi affectus adhuc inter ſe diſcrepant quoad *febrem* conjunctam, quæ in Empyemate utplurimum ſignum quoddam antecedens & ſimul eſſentiale conſtituit, ita ut nunquam ab ea immunes ſint ejusmodi ægrotantes, ſemper tamen intenſior & magis acuta exiſtat, ſi Empyema in fieri eſt, & magis remittat, ſi purulentæ materiæ collectio jam jam facta eſt; e contra vero, qui Hydrope pectoris detinentur, non ſemper febre inſimul affliguntur, (licet eam Auctor *Libro de morbis* qui ſub nomine Hippocratis circumfertur, primo loco inter ſigna hujus affectus ponat,) & ſi etiam illa ſuperveniat, lenta magis, hectica & marasmodes, quam exquiſite acuta exiſtit, atque affectui tunc demum ſupervenit, quando ſummum perfectionis ſuæ gradum fere attigit.

§. VI.

Proinde etiam Empyema ratione ſymptomatum urgentiorum, & inprimis reſpectu moleſtiſſimæ iſtius diſpnœæ coincidit cum affectibus *aſciticis* & *aſthmaticis* ſimilia prorſus ſymptomata inferentibus; aſt diſcrepat ſatis

exacte

exacte ab iis, tum quoad *tumorem* ſatis inſignem in aſciticis circa abdomen maxime conſpicuum, quam quoad reliquas circa reſpirationis difficultatem ſimul concurrentes circumſtantias: adeſt enim in aſthmate humido, de quo jam maxime ſermo, itidem laborioſior & ſimul frequens reſpiratio, ſed cum ſibilo & fremitu vehementiori, & ſenſu ſpumidæ cujusdam ebullitionis, de quo vulgo dicunt, es raſſele und koche auf der Bruſt wie ein Topff voll Kraut, quale quid in Empyemate nunquam obſervatur; accedit etiam ſub priori affectu moleſta quædam raucedo & aſperitas vocis, tuſſis crebrior & auctior materiæ pituitoſæ expectoratio; in Empyemate vero ægrotantes clara ſatis, licet ob debilitatem, paulo remiſſiori, voce, animi ſenſa exprimere poſſunt, non ita vehementer tuſſiunt, & ſi quicquam exſpuunt purulentum illud magis quam pituitoſum eſſe obſervatur.

§. VII.

Traditis ſic iis, quæ quoad *differentiam* præſentis noſtri ab aliis congeneribus affectibus obſervanda erant, nunc ad *Hiſtoriam* ejusdem merito progredior, pleniorem *ſignorum & ſymptomatum* circa eundem occurrentium recenſionem ſuppeditaturus. Hæc vero ordinarie non ſemper eodem modo, præprimis tempore initii hujus affectus, ſeſe habent, ſed pro *diverſitate originis* Empyematum diverſam quoque indolem & larvam aſſumunt: Empyema enim omne duplici communiter modo producitur, partim per immediatam & ſimultaneam, partim quoque per *mediatam* & *ſucceſſivam* humorum putreſcentium aut actu putridorum, intra thoracis cavitatem factam detruſionem; illa agnoſcit cauſam antecedentem *externam & violentam* nempe actualem thoracis læſionem ex *vulnere* aut *contuſione* graviori, ubi ſanguinis quantitas aliqua intra hujus regionis cavum effuſa & ſucceſſive corrupta tandem materiam quandam purulentam pro excitando ſontico tali affectu ſuppeditat; hæc vero, ſeu mediata humorum purulentorum translatio non niſi ex vehementiori ſanguinis

guinis ad internum quandam pectoris partem affluxu, ob prægreſſam aliquam ſtaſin maxime eo directo, & hunc demum inſequente abſceſſu quodam, originem ſumit, dum materia ibidem concluſa purulenta tandem, ob rupturam interiora verſus factam, in cavitatem iſtam effunditur, eoque ipſo ſimilis affectus producitur, & ſecundum diverſam hancce cauſarum generaliorum conditionem, nunc quoque ſignorum & accidentium in hoc affectu diverſitas luſtranda erit.

§. VIII.

Quod igitur *primi generis Empyema* attinet, quando nimirum illud ex immediata ſanguinis intra pectoris cavitatem effuſi corruptione ortum eſt, tunc præter læſiones prægreſſas externas per vulnera punctim inflicta, aut contuſiones graviores & lapſus ab alto excitatas, ejusdem inſuper præſentiam arguunt, inſigniores inde ſtatim ſubſequentes reſpirationis difficultates, tuſſis ſicca admodum moleſta, nimia virium proſtratio, imminens & frequens ſyncope, doloris pectoris varii, inprimis lancinantes & ardentes, ſenſus gravativus, & preſſorius circa coſtas ſpurias, inſolitum & præternaturale extremorum frigus, atque ſuperveniens tandem febris plus vel minus acuta, quippe quæ fere ſola, ſi modo læſio ita comparata fuerit, ut per eam propagines paulo inſigniores venarum vel arteriarum intercoſtalium ſimul dilaceratæ ſint, hunc affectum prodere & indicare poteſt.

§. IX.

Secundi autem *generis Empyema*, præ priori adhuc frequentius occurrit, quoniam inflammatoriæ & ſuppuratoriæ tam pleuræ quam pulmonum læſiones in ſubjectis quibuscunque admodum facile producuntur. Cognoſcitur autem illud primario ſtatim ex ſignis Pleuritidem ſuppuratam vel Peripnevmoniam comitantibus, ubi eo tempore, quando materia in pus abire incipit, communiter febris iſta ſecundaria una cum doloribus circa partem affectam ſævientibus magis communiter urget, & reliqua

inſi-

inſimul ſymptomata ad unum fere omnia pariter ingraveſcunt, accedunt rigores & horripilationes, quæ per intervalla incerta ægros ſatis moleſte concutiunt, &, ſi intra quatuordecim dierum ſpatium materia iſta purulenta per expectorationem non removetur, juxta HIPPOCRATIS *Aphor. 8. Sect. V.* tunc tanto certius circa vigeſimum, trigeſimum, aut quadrageſimum diem ruptura vomicæ vel abſceſſus hac ratione producti metuenda eſt, inprimis ſi ſymptomata hactenus perpeſſa, febris nempe, difficilis reſpiratio & pungitivus atque tenſivus iſte dolor non nihil imminuuntur ægerque quodammodo ſanus ſibi eſſe videtur, tunc enim pus ex parte hactenus læſa jamjam prorupiſſe & in cavitatem thoracis effluxiſſe certo colligere licet; aſt, inconſtans utplurimum eſt gaudium de tali levamine, quoniam brevi poſt de novo ſymptomata iſta iterum augentur, aliaque inſuper accedunt, quæ periculum nunc magis auctum, quam imminutum eſſe demonſtrant.

§. X.

Quando igitur intra pectoris cavitatem purulenta iſta materia collecta, adeoque Empyema actu jam jam præſens eſt, tunc ſymptomata quidem cum præcedentibus eadem fere ſunt, ita tamen, ut pro quantitate puris majori aut minori, nec non pro diverſitate peculiarium quarundam accedentium circumſtantiarum nunc gravius nunc mitius affligant, & modo hunc modo alius morbi typum ſiſtant. Inprimis accedit crebrior tuſſis, eaque ſicca & obſcura, quaſi e profundo & cavo producto, ein dunckler Huſten, als wenn ſie aus einem hohlen Topff huſteten, quia tota illa magis â diaphragmate, propter pus ſibi incumbens nimium prægravato, quam ê pulmonibus eſt; ſub hac autem commotione in initio raro quicquam emovetur, in progreſſu autem morbi & poſt multos tuſſiendi conatus tandem materia plus minusve purulenta, imo interdum etiam ſanioſa rejicitur, quæ ſi copioſa eſt, morbi hujus ſolutionem in quibusdam ſubjectis adjuvare & promovere obſervatur. Tuſſim autem omnem in ejusmodi ſtatu prorſus

ſus deficere, juxta obſervationem M. AVREL. SEVERINI *in Conſult. Lib. II. de recond. abſceſſ. nat. annexa*, prolatam rariſſime contingit; ſæpius e contra evenit, ut ægri inter tuſſiendum concuſſionem aliquam ſpecificam in cavo pectoris & præcipue in ea regione, in quam pus effuſum eſt, perſentiſcant, ac ſi fluidum quoddam ibidem agitetur, quod a materia diaphragmati incumbente per tuſſim agitata & dein retrocedente dependet.

§. XI.

Proinde concurrit etiam, ſub perfecto tali Empyemate, *Febris* non quidem adeo uti ſub actu inflammatorio & ſuppuratorio fuit, ſed ad lentarum, imo hecticarum typum magis accedens, ſatis tamen moleſta, quoniam præcipue veſperi exacerbatur & noctes utplurimum inſomnes cauſatur. Conqueruntur porro etiam Empyici ad unum omnes de eximia reſpirationis difficultate, quæ levior quidem eſt, ſi illi erecti ſtant aut ſedent, cum tunc gravativum tantum ſenſum circa præcordia perſentiſcant, gravior autem ſi decumbant in latere nondum affecto, aut antrorſum ſeſe inclinent, calceos v. g. ſoluturi aut ligaturi; tunc enim ob pondus puris verſus pulmones propulſi eosque fere inundantis ſuffocari quaſi videntur, quemadmodum etiam melius ſemper ſeſe habent atque facilius reſpirant, quando in dorſo decumbunt, ubi præter leniorem quandam fluctuationem nullam prorſus aliam moleſtiam experiuntur.

§. XII.

Præterea obſervantur etiam in ægrotantibus iſtis frequentes *ſudores*, maxime nocturni & fere colliquativi, cum anxietatibus & palpitationibus cordis frequentioribus conjuncti, ut ex uno ſemper cubiculo in aliud transferri deſiderent, neſcii ubi hæreant; apparet in genis rubor præternaturalis, cum phlogoſi quadam, per intervalla recurrens & brevi poſt iterum evaneſcens, atque ſpeciatim

ejus-

ejusdem lateris genam magis occupans, quod ab Empyemate in thorace jam afflictum eſt. In ulteriore mali progreſſu ſentiunt etiam Empyici communiſſime evaporationes calidas e pectoris cavitate ad os aſcendentes, de quibus dicunt, es ſteige ihnen wie ein heiſſer Broden auf, quasque ordinarie ſapor fœtidus & quaſi putridus comitatur, & tunc appetitus magis magisque perit, ut tandem plenarium ciborum faſtidium ſuccedat; ſitis econtra indeſinenter continuat, quin de die in diem augeſcit, pulſus redditur inordinatus atque frequentius intermittit, præprimis in carpo lateris affecti. Denique prorumpunt etiam puſtulæ ſat copioſæ & quidem juxta HIPPOCRATIS *Obſervationem, Prognoſtic. l. 2. c. 16. Text. XVI.* κατὰ τὸ σῶμα, per totum corpus, juxta modernorum autem experientiam tantum in pectoris ſuperficie, quales etiam aliàs ſæpiſſime in Phthiſicis obſervantur notante hoc SEVERINO *in Tr. de abſceſſ. recond. Nat. Lib. II. cap. 5.* Interim in latere affecto & dimidia illa thoracis regione, ubi Empyema hæret, utplurimum melius decumbere poſſunt ægrotantes, quom in oppoſito ſano; quoniam tunc mediaſtinum ab irruente in illud toto puris pondere nimium premitur & admodum moleſte afficitur. Diuturni autem & tandem in Phthiſin degenerantis Empyematis ſymptomata ſunt, tumor intercoſtalis mollior, aut ut RIVERIO *in Prax. Med. Lib. VII. cap. 4.* placet, *œdematoſus*, ob ſucceſſivam ibidem factam materiæ tenerioris tranſudationem & exhalationem, tumor itidem in pedibus, ardor manuum & digitorum extimorum, unges adunci, oculi concavi, aliaque ab HIPPOCRATE *Prognoſt. l. c. cap. 17.* annotata accidentia, ſub quibus dein reliquum corpus emaciatur, vires ſucceſſive conſumuntur, ſuperveniunt lipothymiæ, & tandem ultima rerum linea, mors, omnia claudit.

§. XIII.

Propoſita ſic truculenti hujus affectus Hiſtoria, nunc quoque in cauſas tum ejusdem in ſpecie, tum concomitan-

tantium quoque eundem ſymptomatum, ſimili cum induſtria inquirendum erit. Ex antecedentibus vero jam ſatis liquet, quod pus in cavo pectoris pulmones inter & thoracem collectum, cauſam continentem & immediatam omnis Empyematis conſtituat, quodve, ſecundum differentiam ſuperius in §. VII. traditam in Empyemate ex immediato humorum affluxu intra pectus oborto vulnera prægreſſa punctim inflicta & contuſiones graviores hujus regionis; in Empyemate autem mediate producto inflammationes & ſuppurationes pulmonum pariter ac pleuræ cauſarum antecedentium & mediatarum vices ſubeant. De *vulneribus* enim muſculos intercoſtales ipſamque pleuram aut pulmonum inſimul ſubſtantiam penetrantibus nec non de gravioribus ibidem perpeſſis *contuſionibus* abunde notum eſt, quod ob conjunctam cum iis vaſorum teneriorum ſaeguiferorum dilacerationem, ſemper actualis quædam ſanguinis extravaſatio & effuſio in cavitatem thoracis, & quidem modo levior, modo copiſior contingat. Sanguis autem iſte ex vitali conſortio ita proſcriptus immediato poſtmodum greſſu ad corruptionem tendit, dum præternaturalem prius acorem ſtagnando concipit, indeque ſpiſſeſcit, coagulatur & in grumos convertitur, hinc fermentare incipit, & ſub hoc actu tandem in verum pus degenerat, eoque ipſo *Empyema primi generis* excitat, de quo multa apud PASCHALIUM *de cur. morb. lib. I. c. 29; Valleriolam Lib. IV. obſ. 7. Scultetum Obſerv. 45. Sylvaticam Cent. III. Conſ. 54.* PET. MARCHETTIS *in Obſervat. Chirurg.* aliosque jam proſtant exempla.

§. XIV.

Eadem quoque eſt ratio idemque modus generationis, ſi Empyema ex abſceſſibus in interioribus pectoris obortis originem ſumit: Hi enim, quando vel ob externas violentias, nimios nimirum clamores, pectoris vehementes concuſſiones, vel ob actualem eroſionem membranæ eosdem inveſtientis, rupturam paſſi ſunt, tunc ſtatim

tim, vel ſimultanee vel ſucceſſive, materiam ſuam purulentam effundunt, & hac tatione *Epyema ſecundi generis* producunt. Et hinc eſt, quod Pleuritis non recte curata tandem affectum huncce poſt ſe relinquat, teſtante hoc Dictatore noſtro *Sect. V. Aphor. 8.* & confirmantibus id ipſum innumeris in quotidiana praxi occurrentibus exemplis. Hinc Peripnevmoniaci, etiam facile fiunt Empyematici, imo in iis ſæpe res eo devenit, ut, creſcente ſenſim iſto ſuperficiali ulcere, univerſa iſtius lobi pulmonum ſubſtantia in ſaniem reſolvatur, eaque tota illius lateris cavitas adimpleatur, quod pluribus maxime notabilibus aliorum hiſtoriis illuſtrare integrum mihi eſſet, niſi ſpatii & temporis anguſtia id ipſum prohiberent.

§. XV.

Hoc modo pariter quoque *Anginam* in Empyema aliquando deſiiſſe obſervatum eſt, ob materiam talem corruptam prius per metaſtaſin ad pulmones delatam, & ex his dein in cavum thoracis effuſam, prout hoc inprimis indicant HIPPOCRATES *Sect. V. Aph. 10.* & *Jul. Cæſ.* CLAVDINVS *Conſult. Med. XXX.* Sic etiam ex *vulneribus capitis*, ob translationem puris a cerebro partibusque ſuperioribus ad thoracem, interdum Empyemata oriri animadvertunt Chrirurgi, notatque INGRASSIAS *in Enarrat. Caſus Illuſtriſſ. Ducis Terræ novæ p. 23.* ex Parotidibus autem neglectis ſimilem affectum enatum fuiſſe commemorat Celeb. GREISELIVS in *M. N. C. Dec. I. Ao. III. Obſ. 50.* Multum proinde etiam contribuunt ad producenda Empyemata, *fiſtulæ thoracis*, ex quibus ſæpe itidem pus jamjam factum in internam ejusdem cavitatem expuitur, inprimis ſi externa vulneris pars conſolidationem tantum admiſerit, interna autem adhuc in ſuppuratione permanſerit, quemadmodum hoc egregie notavit HIPPOCRATES *in Coac. Prænot.* Neque tandem ex ordine cauſarum excludendæ ſunt *Vomicæ pulmonum*, quæ quidem interdum integræ rejiciuntur, juxta obſervationem FERNELII *in Patholog. Lib. V. cap. 10.*

&

& HOLLERII *Obſervat, rarior. 1.* ſæpius autem disrumpuntur, & ſi materia in bronchia tranſire poteſt, per os evacuantur, ſi vero hoc non contingat, tunc immediate in cavum thoracis ea dilabitur, ſicqne poſtmodum Empyema exinde producitur.

§. XVI.

Quod ſymptomatum ſuperius recenſitorum *ætiologiam* attinet, quoniam hinc inde jamjam varia de ea Hiſtoriæ ſubjunximus, ideo pauciſſima tantum adhuc monenda ſupererunt. *Reſpirationem* igitur *difficilem* reddi in Empyicis, mirum non eſt, quoniam præcipua ejusdem inſtrumenta, pulmones nempe in expanſione & diaphragma in contractione ſua debita per materiam iſtam purulentam quodammodo impediuntur. Tuſſis ob vellicationem partium ſenſibilium thoracis, â pure acriori excitatam communiter oboritur: hanc enim Natura per modum talem concuſſorium removere molitur, ob varias autem alias circumſtantias utplurimum excretio iſta retardatur, ut propterea *ſicca* tantum maneat, donec impedimenta iſta ſublata fuerint. Febris concurrens itidem pro actu tantum ſecundario agnoſcenda eſt, utpote qui â natura eum maxime in finem excitatur, ut imminentem corruptionem in pectore avertat, partesque ſuppuratas abſtergat & ab ulteriori inquinatione defendat. *Fluctuationis* ſenſus indicium præbet materiæ purulentæ tenuioris; defectus autem ejusdem craſſiorem illam eſſe indicat. *Puſtulæ* denique in pectore erumpentes â vaporibus putridis ê cavitate pectoris exhalantibus, in reliquo autem corpore forſitan exſurgentes, â particulis ſimilibus tetris, ſanguini pectus tranſeunti ſeſe inſinuantibns, deducendæ videntur. Reliqua autem antea memorata ſymptomata, cum in pluribus aliis morbis occurrant, adeoque facili negotio explicari queant, hic ad ſuas cauſas non reducam, ſed potius ad alia pergam.

§. XVII.

Prognoſis igitur, ad quam ordinis ratio me nunc progredi jubet, variat pro quantitate puris effuſi & pro qualitate loci in quem effuſum illud eſt; in genere enim magni utique momenti affectus eſt, partim ob functiones quas turbat, partim etiam ob viſcera & partes quas lædit, idque tanto magis, quoniam communiter alios graves excipit morbos, adeoque vires jam tum per eos proſtratæ facilius planè concidunt ac curationem fruſtrantur. Interim minus ſemper malum eſt, ſi minor puris quantitas adſit, & ſi una tantum cavitas pectoris, & præcipue dextra potius quam ſiniſtra, eodem repleta exiſtat; ſic etiam minoris periculi eſt Empyema â vulnere thoracis & ſanguine extravaſato obortum, præ illo, quod ſuppurationem pulmonum ipſamque pleuritidem excipit, quoniam tunc neque repurgatio neque conſolidatio perfecta locum invenit. Bonum ê contra & ſalutare eſt, ſi ſpirandi difficultas levior ſit, ſi febris non ita valde urgeat, ſi pus facilè educatur, ſi albicans ac leve magis & non adeò fœtidum aut acre exiſtat, juxta HIPPOCR. *S. VII. aph. 44.* ſi appetitus ſucceſſive redeat, & tempeſtiva puris remotio vel per artem, vel per peculiarem Naturæ autocratiam ritè ſuccedat.

§. XIIX.

Solet autem autocratica & ſpontanea talis evacuatio puris in Empyemate, quando eadem contingit, ordinarie triplici modo fieri, vel per alvum ſeu per *catharſin*, vel per veſiam ſeu *diureſin*, vel per pulmones ſeu *expectorationem*, & tunc ſi viribus adhuc ſufficienter ſibi conſtant ægrotantes, utplurimum idem ſalutaris eventus ſubſequitur, quam ſi per artificialem quandam operationem remota fuerit materia iſta. Sic de *diarrhæis purulentis* ſalutariter Empyemati ſupervenientibus proſtant exempla apud SEPTALIVM *Lib. V. Animadv. Med. §. 127.* ALEX. BENEDICTVM *Lib. III. Anat. cap. 9.* HERCVL. SAXONIAM *Lib. II. Prax. cap. 7. &* JOH. ARCVLANVM *Comm. in Lib. IX. Al-*

man-

manſor. cap. 70. De Empyemate per *diureſin* judicato & curato proſtant relationes apud HORSTIVM *Lib. III. p. 132. 137.* JOH. MATTHÆVM *Relat. Med. 4.* GLANDORPIVM *Specul. Chirurg. Obſ. 28.* SCVLTETVM *Obſ. 46.* BINNINGERVM *Cent. V. Obſ. 58.* & in *M. N. C. Decur. II. Ao. VI. Obſ. 108.* De Empyemate denique per *anacatharſin*, & ſpeciatim *expectorationem* curato obſervationes proſtant apud SYLVATICVM *Cent. III. Conſ. 52.* JESSENIVM *in Chirurg. p. 75.* HERC. SAXONIAM *l. c.* aliosque; quin dantur etiam exempla de pure Empyematico per *abſceſſum* ſub alis & umbilico, uti apud TVLPIVM *Lib. II. Obſerv. c. 6. p. 108.* aut ſub forma *fœdæ ſcabiei* per totum corpus, uti in *M. N. C. Dec. I. Ao. II. Obſ. 146.* nec non per foramen cutaneum poſt inciſionem venæ medianæ relictum, eliminato, prout in iisdem *M. N. C. Decur. I. Ao. VI. & VII. Obſ. 147.* refertur; qua vero ratione & quo modo proprie tales extraordinariæ & mirificæ metaſtaſes fiant ac inſtituantur, inpræſentiarum ob chartæ anguſtiam latius diſpicere non licet, illud ad minimum exinde liquet, quod Natura interitum corporis ſui amolitura nihil relinquat intactum, antequam ejusdem ſtructuram diſſolvi patiatur, adeoque quicquid peregrini ac nocivi invenit, ſæpius per vias inſolitas & â priori nobis incognitas evacuare, atque invia ſibi pervia reddere ſoleat, ut moleſtas tales materias eo citius exturbare queat.

§. XIX.

Ex his autem modo allatis circumſtantiis optime nunc liquet, quod *Therapia* gravioris hujus mali inprimis duplici huic indicationi innitatur: I.) *Ut materia in cavum thoracis effuſa, tanquam toto genere præternaturalis, tempeſtivè & convenienter removeatur;* II.) *Ut læſio interna ſuppuratoria debitè abſtergatur & conſolidetur.* Quoad *primam* ergo *indicationem* diſpiciendum ſtatim eſt, per quasnam vias propriè talem evacuationem inſtituere conveniat, an nimirum per ordinarias & *naturales*, quas ipſum corporis noſtri princi-

pium

pium interdum monſtrat, an vero per extraordinarias & *artificiales* quas Chirurgia inſtrumentalis indicat, tentanda ſit. Quodſi Natura in ancipiti tali caſu avtocraticè quicquam moliatur, tunc ſane abſolutè neceſſe eſt, ut Medicus ſe miniſtrum ejusdem eſſe demonſtret, & quo illam vergere videt, eò ſimul quoque tendat & motum ejusdem convenienter promoveat, inprimis ſi ſolutiones tales ſpontaneas faciles ac tutas fore ex circumſtantiis perſpiciat, ſimulque maximam purulentæ materiæ quantitatem in loco & parte exulcerata adhuc obhæreſcere & parum tantum ejusdem exinde effuſum eſſe cognoſcat.

§. XX.

Si igitur (quod quidem rarius obtingit) Diarrhœa quædam purulenta appareat, atque Natura ſic per inteſtina excretionem affectet, tunc non dubitabit Medicus, eidem per inſolitam licet hanc viam ſeſe liberanti, opem adferre ſelectis & viribus ægrotantis convenientibus remediis abſtergentibus & laxantibus, nempe ⊖ibus digeſtivis, ♀o ⊕lat. Crem. ♀i, Arcan. dupl. ⦶o ✱iat. &c. in *pulvere*; Rhabarbaro Or. Polypod. qu. Fol. Senn. Alex. additis Herbis Scabioſ. Chæreſol. C. B. Veron. &c. in *Decoctis* exhibendis, aut Clyſteribus blandè carminativis & lenientibus, nec non Linctibus ex Syrup. Roſ. ſolut. Manna Calab. & ☍ Amygd. d. rec. paratis in illorum locum ſubſtituendis.

§. XXI.

Si vero frequentiori & convenientiori methodo Natura excretionem talem per *Diureſin* moliatur, præcipuè antequam abſceſſus in pectore rumpatur atque in thoracis cavitatem ſeſe exoneret, tunc convenit *diuretica*, & quidem talia maximè, quæ præprimis pectori amica ſunt, & non tam ſtimulando, quam reſolvendo, operationem ſuam blandè abſolvunt, ordinare, videlicet *abſorbentia* ſimpliciora citrata aut cum aliis acidis ſaturata in pulvere & potioni-

tionibus cum ▽is Chærefol. Scabioſ. Fœnic. C. B. Petroſel. paratis; *balſamica* mitiora, velut Therebinth. coct. G. Junip. Heder. Balſ. Peruv. cum Extractis herbarum capillarium & amararum in Pilulas redacta; & tandem ſimplicia *vegetabilia*, nempe Rad. Aſpar. Fœnic. Petroſel. Tarax. Valer. Carlin. Herb. Urtic. Heder. 🜃eſtr. Scabioſ. Chamædr. Chærefol. Petroſel. Cap. ♀is, Flores & Semen Violar. in formam Decoctorum, cum Syr. de Alth. Fernel. edulcorandorum, redigenda, & repetitis vicibus ſucceſſive exhibenda.

§. XXII.

Quodſi tandem per *expectorationem*, quæ omnium harum excretionum commodiſſima cenſetur Natura materiam iſtam purulentam removere intendat, tunc convenit eandem adjuvare pectoralibus blandioribus, nempe *Decoctis* ê Rad. Ir. Flor. Helen. Glycyrrh. Herb. Veron. Hyſſop. Tuſſilag. Cap. ♀is, Semin. Urtic. Fœnic. Paſſulis, Fruct. Sebeſten, &c. parandis & cum Melle roſat. Oxym. ſquill. Syr. de Eryſ. Lob. &c. edulcorandis; *Potionibus* & *Emulſionibus* ex ▽is pectoralibus, Sem. Card. Mar. Amygd. d. Pineis, Piſtac. ♁io diaph. & Mat. perl. Crügneri, nec non *Electuariis* ex Conſerv. Roſar. Violar. Hed. 🜃eſtr. Syr. borrag. flor. Tunic. Liquirit. ♁io diaph. Succin. alb. ppt. & Flor. 🜍is, componendis, atque non ſolum durante hac excretionis ſpecie, ſed & ſub reliquis hactenus enumeratis, aliquoties de die offerendis, ut ita reliquiæ puris aliàs circa abſceſſum adhuc reſtitantes, perfectè abſtergantur & excludantur.

§. XXIII.

Quoniam vero admodum raro contingit Naturam proprio motu & activitate excretiones tales inſtituere, ê contra verò multò frequentius obſervatur, materiam iſtam purulentam eroſo prius abſceſſu interno, in cavum thoracis defluere, hinc neceſſe eſt, ut ſub priorum evacuationum

cuationum

cuationum defectu, ad alteram, quæ adhuc ſupereſt, *Chirurgicam* nempe & artificialem, confugiamus, atque puris aut ſanguinis extravaſati remotionem breviſſimâ viâ, per apertionem thoracis, quam *Paracenteſin* vocant, promovere allaboremus, pro quo fine obtinendo antiquiſſimi Medici jamjam triplicis generis inſtrumenta adhibere ſueverunt, nempe *ferrum candens*, *ferrum ſcindens*, & *corroſiva medicamenta*, ex quibus autem, ſi in caſu adeo ancipiti & nulla alia ratione medicabili, unum ad minimum eligendum ſit, potius ferrum ſcindens, ſive *ſectionem* præ uſtione & corroſione ſuadendam eſſe autumo, licet hanc BONTIUS *de Med. Indor. cap. 13.* tanquam uſitatiſſimam apud Indos, & illam HIPPOCRATES *Sect. VIII. Aphor. VI.* eximiè commendaverint.

§. XXIV.

Evenit equidem huic remedio, *ſectioni* nimirum *thoracis*, idem, quod multis aliis utiliſſimis rebus, ut laudetur ab his, culpetur ab illis; aſt, quoniam pericula quæ alias ab adverſariis ejusdem exinde metuuntur, nempe vel repentina mors, vel fiſtulæ inſanabiles, non adeo difficulter evitari poſſunt, hinc illud ipſum propterea, quoniam etiam ſecuriora non ſuppetunt, minime rejiciendum eſſe puto. Caveat modo artifex ne cruentam hanc operationem nimis tarde inſtituat, quando viribus ferè omnibus jam jam exhauſti ſunt ægrotantes, aut ſanguis extravaſatus ob perpeſſa vulnera & contuſiones, in ſub cruentum, fæculentum & fœtidum pus degeneravit; ne etiam ita temere ad eam procedat, inprimis quando forſitan alia gravia vitia, per artem non corrigibilia, in interioribus thoracis ſimul conjuncta ſunt; ne conjunctam febrem negligat, atque uſum conſuetorum remediorum temperantium, moderatè bezoardicorum, alexipharmacorum & analepticorum omittat, ſicque per accidens periculum propria ſuâ culpa augeat. Modum autem *ſectionis* atque *regulas* in adminiſtranda hac

Paracentesi obſervandas, non opus erit ut latius recenſeam, cum jam ea omnia unacum reliquis cautelis & requiſitis diffuſe â SCVLTETO *in Armament. Chirurg. Tab. XXXVII.* BARBETTE *in Chirurg. cap. XV.* FIENO *in Chirurg. Lib. XII.* HORNIO *in Microtechne*, GVILLEMEAV *de Operat. Chirurg.* HEISTERO *in Chirurgia* aliisque pluribus, deſcripta extent.

§. XXV.

Reſtat autem adhuc *altera indicatio*, juxta quam abſterſioni, mundificationi & conſolidationi partium læſarum & exulceratarum proſpiciendum eſt. Præter illa igitur quæ â Chirurgo quoad eductionem puris ſucceſſivam & injectionem decoctorum abſtergentium, balſamicorum & vulnerariorum vulgatiſſimorum obſervanda ſunt, inſimul Medicus omnibus eo anniti debet viribus, ut per interna quoque convenientia ſubſidia & remedia eundem effectum promoveat, atque ulteriorem præſentis corruptelæ divagationem impediat. Faciunt hoc præter leniora ſuperius memorata pectoralia, inſimul Decocta ê Rad. Rub. tinct. Valer. Herb. Heder. ∇eſtr. Chærefol. C. B. Scord. &c. item è Calc. Viv. c. fl. Calcatripæ & fol. Plantag. parata, aut ſucci expreſſi harum herbarum, inprimis autem Hederæ ∇eſtr. & Betulæ, recentes, cum Saccharo, Thure & Myrrha in Linctum redacti. Conducunt etiam Ligna, Santalin. r. citrin. juniperin. Guajac. Saſſafr. cum Rad. Chin. Herbis modo nominatis, aut capillaribus, Paſſul. min. & Fic. pingu. in formam Decoctorum, bis per diem ad ℔ß. aſſumendorum redacta, quin & ipſum Decoctum braſſicæ rubræ, viliſſimæ alias, ſed quoad vires egregiæ & verè nobilis plantæ, eodem modo, ſi cum tantillo ſachari temperatum fuerit, adhibendum. Pertinent huc quoque Electuaria ex Conſervis modo nominatarum herbarum, Gummatibus temperatioribus & Balſami de Copaiva leviori doſi parata. Non negligendum porro eſt *Lac caprillum*, quod, in defectu *aſinini*, cum ſacharo roſato mixtum, eximiè commendatur in *M. N. C. Dec. I. Ao. I.*

Obſ.

Obſ. 19. Nec tandem etiam omittendæ Emulſiones tam ſimplices amygdalatæ & non nimium ſaturatæ, ſimulque cum Succin. alb. remixtæ, quam præcipuè ê Therebinth. Veneta cum vitello ovi ſoluta, Melle roſar. ▽is fragor. Hyſſop. C. B. &c. parata, ſub quorum omnium regulari uſu, conjuncta ſimul convenienti diæta (de qua, cum ſatis jam nota ſit, nihil inpræſentia addere lubet,) tandem auxiliante divina gratia, etiam in hujus intricati affectus cura felix lætusque ſperari poterit

FINIS.

